



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 1. Dstinctio trium personarum ostenditur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

# LIBER TERTIVS, DE VERA DISTINCTIONE TRIVM PERSO- NARVM, ET PRÆDICATIS, QUÆ IN IL- LIS MVLTIPPLICANTVR.



**R**IA in præfenti libro tractanda occurrunt, scilicet, qualis sit distinctio inter diuinas personas, & quæ attributa, seu prædicata ratione huius distinctionis in eisdem diuinis multiplicentur, & quibus verbis, seu loquendi modis ad hanc distinctionem declarandam vti possimus. Quartum verò, quod hic principaliter desiderari poterat, scilicet, per quid distinguantur diuinæ personæ, quia supponit earum constitutionem, in 7. lib. dicitur melius.

## CAPVT I.

*Diuinas personas realiter inter se distingu-  
gui, ostenditur.*

**H**IC primo occurrit tractandus error Sabellij, qui trium personarum nomina eidem rei, & personæ accommodabat, vt refert Athanasius oratione contra Arium in illud *Deus de Deo*. Vbi rationem nominum his verbis exponit. *Patrem dilatari in Filium sumendo carnem, & in Spiritum sanctum sanctificando homines*, id est, eandem personam, prout est ingenta, & principium vocari Patrem; prout incarnatam vocari Filium, prout verò in hominibus habitat per gratiam, Spiritum sanctum. Hoc etiam sumitur ex relatione Athanasij, oratione contra Gregales Sabellij, & ex Basilio sermone contra Sabellium, & ex Eusebio libro septimo, historia cap. 5. Nycephoro libro sexto, capit. 26. Nec fuit hic hæreticus primus auctor huius erroris: sed illi tribuitur, quia illum magis explicauit, & defendit. Prius verò illum docuit Praxeas, vt ex Tertulliano constat, libro contra illum, & Nothus apud Epiphanium hæres. 57. Refert etiam Tertullianus libro de Præscriptionibus hæreticorum, capit. 52. Cataphrigas in hoc fuisse errorem, quod de Montanistis, qui iidem censentur, refert Nycephorus libro 4. historia, capit. 22. & idè fortasse dixit Hieronymus, epistola 54. ad Marcellam, *Montanum Trinitatem in vnus personam angustius coegisse*: vel fortè hoc dixit propter sectatores eius, nam de ipso Montano ait Epiphanius hæres. 48. non malè de Trinitate sensisse. Atque ex his hæreticis orti sunt, qui appellantur Patripassiani; quia Patrem dicebant pro nobis passum fuisse, & mortuum, quia illum à Filio non distinguebant. Ad confirmandum hunc errorem vtebantur in primis hæretici omnibus testimonijs, quibus diuinitatem singularum personarum ostendimus, deinde adiungebant omnia, quæ probant vnitatem Dei; & inde concludi putabant personas non distinguari in re ipsa.

Veritas autem Catholica docet, Personas diuinas esse in re ipsa inter se distinctas: atque ad eò proprie, ac realiter distinguuntur. Prior pars est simpliciter de fide, quam definiunt omnia Concilia citata in capite tertio libri præcedentis, & omnes etiam Patres; ac specialiter Leo Papa epistola 93. capit. primo, & Suarez: De Deo trinuno:

Ignatius epistola octaua. *Non (inquit) credimus in vnum Trinumium, sed in tres eiusdem honoris*. Nazianzenus op timè oratione 3. de Theologia, Hilarius libro de Synodis in principio, & libro sexto & septimo de Trinitate. Testimonia Scriptura adduximus libro primo, capit. secundo. Nam licet in Scriptura non habeatur formaliter hoc verbum, *distinguuntur*, habentur tamen multa, quæ illud includunt, vt esse tres in Ioann. quinto. Item nomen *Patris, & Filij* (Matth. 1. Ioan. 5. vltim.) satis ostendunt distinctionem, si intelligantur cum proprietate; vt intelligi debent, quia nulla res se ipsam generat, vt Pater, & Filius esse possit respectu eiusdem personæ. Et idem probat verbum *procedendi*, quod Ioan. 3. & 14. inuenitur. Item relatiuum, *alius*, quo vtitur Christus Dominus Ioan. 15. & 16. Nam vna res omnino indistincta non est alia à se ipsa. Item hoc includit illa locutio, qua Pater dicitur esse in Filio, & Filius in Patre, & Ioan. 14. & in capit. primo. *Verbum erat apud Deum*. Præterea, vbi dicitur Christus Dominus ait, *se accipere à Patre, & Spiritum sanctum à se, & à Patre*, clarè docet distinctionem, quia hæc non dicuntur verè, & proprie de eadem re respectu sui ipsius. Denique etiam ex missione personarum id probari potest, vt infra videbimus.

Hæc ergo euidenter conuincunt distinctionem in re ipsa inter personas, quod verò illa distinctio dicenda sit *realis*, non inuenio sub hac voce tractatum à Patribus, aut definitum à Concilijs: puto tamen contineri sufficienter in his, quæ definita sunt; & in allatis testimonijs, & locutionibus; ideoque cenfeo absolute esse de fide. Quia hæc distinctio, quam fides docet, est personalis, id est, constituens personas distinctas: distinctio autem personalis, realis est. Præterea vnaquæque diuina persona in se spectata, est vera res per se subsistens, & vna non est alia, ergo est distinctio realis inter ipsas; nam realiter distinguuntur, nihil aliud est, quam esse veras res, quarum vna non est alia. Et hoc ipsum probant argumenta sumpta ex substantiali generatione, & productione: hæc namque non est, nisi inter res realiter distinctas. Idemq; argumentum sumitur ex oppositione relatiua tali processioni accommodata.

Vltimo declarari hoc potest ex principijs Metaphysicæ: nam actualis distinctio in re ipsa non est, nisi realis, vel modalis, seu, vt alij loquuntur, formalis: hæc autem posterior distinctio nunquam inuenitur, nisi intra eandem rem, quæ componitur, vel aliquo modo coalescit ex illis rebus, quæ ita distinguuntur. Vnde, quod ita distinguuntur ab aliqua re semper est tanquam modus, vel affectio eius, vt inductione facile constat. Et idè in Deo non habet locum hic modus distinctionis, quæ verè, & actualiter sit in re ipsa, quia in eo non habet locum compositio, nec modificatio, vel affectio per aliquid à se ipso actualiter in re distinctum à substantia Dei, vt latius infra lib. 4. explicandum est: ergo sola superest distinctio realis, quæ inter diuinas personas

Ignatij.  
Nazianz.  
Hilar.

1. Ioan. 5.  
Matth. vlt.

Ioan. 3. & 4.  
& 15. & 16.

Ioan. 14. & 15.

Personarum  
distinctio  
qualis.

4.

sonas esse possit, estq; in vniuersum inter omnes illas entitates, quae per se habent realitatem, ita, vt vna alteram non modifcet, huiusmodi autem sunt diuinæ personæ, vt ex illarum simplicitate, summaque perfectione constat. Ergo.

5. Ad generale fundamentum hæreticorum supra insinuatam generatim etiam dicendum est, veram diuinitatem trium personarum realiter distinctam non repugnare cum vnitatem Dei, quæ vnitas Dei sumitur ex vnitatem naturæ diuinæ; potest autem vna, & eadem vera diuinitas esse trium personarum, vt ex dicendis in lib. sequenti manifestum fiet.

CAPVT II.

Satisfit obiectionibus hæreticorum contra veram trium diuinarum personarum realemque distinctionem.

1. PRæter dictum generale fundamentum, contra eandem veritatem obijciunt hæretici illud Matthæi 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. & illud Ioan. 16. Omnia, quæ Pater habet, mea sunt, & capit. 17. Omnia tua, mea sunt, &c. Si enim quicquid habet Pater, habet Filius, nihil relinquitur, in quo possint realiter distingui. Ratione item sic possumus argumentari, quia vel distinctio pertinet ad perfectionem, vel non. Si non pertinet, non est, cur ponatur intra Deum: si pertinet, ergo erit in Deo summa distinctio, quia quicquid perfectionis in ipso est, summo modo est, summa autem distinctio realis non admittit identitatem realem, quia distinctio in negatione identitatis posita est. Hæc autem distinctio admitti non potest in Deo, ergo neque absolute distinctio realis.

2. Primum testimonium facile posset exponi de Christo, vt homine, & de potestate excellentia, & supremo quodam domino illi concesso in omnem creaturam, iuxta illud Matth. vltim. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra. Sic ergo cum Christus DEVS homo dicit omnia esse sibi tradita à Patre, particula, omnia, declarari potest de omnibus bonis, quorum Deus est propriè Dominus, quæ sunt bona externa potius, quam interna, seu existentia intra ipsum Deum. Quam expositionem indicant Chrysofomus, Hieronymus, & Beda ibi, & Irenæus lib. 4. capit. 37. Tertullianus 4. contra Marcionem. Vennum tamen in locis Ioannis videtur esse sermo de communicatione diuinitatis, & ita ex illis locis probant diuinitatem Filij Athanasius oratione 2. contra Arrianos & Nazianzenus oratione 5. Theologia. Et ideo Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 9. & sequentibus, subintelligendam dicit exceptionem, scilicet Patrem dedisse omnia Filio, præter inuicem propriam.

3. Quæ expositio habetur etiam in Concilio Florentino, sessione 18. & sessione 25. in literis vnionis. Et ex ipsis verbis est manifesta. Quia eo ipso, quod Filius dicitur accipere à Patre, significatur distinctus, cum ergo dicitur accipere omnia, ita intelligendum est, vt non destruat ipsum accipere, destrueretur autem, si tolleretur distinctio: recte ergo intelligitur de omnibus, præter personalem proprietatem, in qua sola est distinctio. Dicit etiam potest Pater, dedisse omnia Filio, quia illi dedit diuinitatem, in qua omnia, vel formaliter, vel eminenter continentur.

Hinc verò dubitatio orta est inter Scholasticos, an dicendum sit, Patrem dedisse Filio omnem suam entitatem, vel potius aliquam non dedisse. Aliqui enim hoc posteriori modo loquuntur, vt Torres lib. de Trinitate quæst. 39. art. 2. quem aliqui Moderni sequuntur. Quia paternitas est aliqua entitas, hanc non communicat Pater Filio, ergo, & cæter. Alij verò nolunt ita loqui, sed aiunt, Patrem communi-

caste Filio omnem entitatem, non tamen omni modo, quo illam habet. Nam in Patre solum est vna entitas, ergo non potest quandam communicare, & alteram non. Tamen illam et entitas in Patre habet modum essendi absolutum, & respectuum, communicatur autem priori modo, non posteriori.

Ego vero lentio, illud signum omnem, accipi posse, vel vt distribuens vel quasi signum totalitatis, vt sic dicam, vt idem sit, omnem, quod, totam. Priori modo valde improprie hic sumitur, quia vbi non est pluralitas, non est distributio, certum est autem in Patre non esse plures entitates. Et ideo in illo sensu non oporteret quæstioni respondere, sed potius non admittere illam. Si verò propter solam distinctionem rationis ita loqui velimus, sicut dicimus omnia attributa, omnes ideas, vel perfectiones Dei: sic vera est particularis negatiua, scilicet, Patrem non communicare Filio omnem entitatem suam, quia reuera paternitas non tantum est modus, sed vera entitas. At verò si loquamur de tota entitate, concedendum est, Patrem totam suam entitatem communicare, alioquin communicaret partem, quod repugnat indiuisibili entitati, vt in simili dixit Concilium Lateranense in cap. Damianus, de summa Trinitate, & de Fide catholica. Sic autem optime dicitur, non communicare omni modo, quod non dicere possumus non totaliter, quia non communicat illam modo relatiuo opposito filiationi.

Ad rationem respondeo, distinctionem, vt sic, non dicere formaliter perfectionem, quia in negatione consistit, supponere tamen illam, & hac ratione intra Deum inueniri, quia & perfectio fecunditatis, & quicquid perfectionis sine imperfectione esse potest in re absoluta, & respectiua, intra ipsum reperitur. Cum autem queritur, an illa sit summa distinctio, sub distinctione respondere possumus, esse summam intensiue, non extensiue. Hoc secundum probat ratio facta, quia non est illa talis distinctio, quæ excludat omnem identitatem, quia hoc non ad perfectionem, sed ad limitationem, & imperfectionem naturæ pertinet. Primum autem patet, quia inter personas diuinas est maxima oppositio, maiorque repugnantia, & vna sit alia, quam possit esse inter res creatas distinctas.

Atque huc spectat, quod dixit Bernardus libro quinto de Consideratione, cap. 8. Dicamus tres, non ad præiudicium vnitatis, dicamus vnum, non ad confessionem Trinitatis. Et nos addere possumus, Dicamus realiter distinctos sine præiudicio identitatis, sic etiam Sophronius in epist. quæ habetur in 6. Synod. act. 11. inquit: Neg. vnum, quod extra vnum est, trinitas, neque trinitas secundum quod tria sunt, vnum admittit, id est, neque vnitas Dei admittit talia tria, quæ non sint illud vnum, neque Trinitas personarum admittit vnitatem in persona. Sic etiam intelligendum est, quod dixit Ioannes Theologus Latinus in Concilio Florentino, sessione vigesima sexta, circa finem, Quamuis tres sint hypostases re ipsa differentes, vnum cum Deum, & opificem credimus. Ita denique exponendus est Damascenus libro primo de Fide, cap. 11. vbi videtur constituere differentiam inter personas creatas, & diuinas, quod illa in re distinguuntur, hæc verò intelligentia & ratione. Quem locum ita exponit D. Thom. in 1. distinct. 2. art. 4. & distinct. 25. quæst. 12. vnicæ, artic. 4. vt ratione intelligat, id est, relatione Damascenus autem aperit de intelligentia loquitur, non tamen dicit per solam illam personas distinguui, sed processiones, & reali proprietate. Differentiam autem inter personas creatas, & diuinas in hoc ponit, quod distinctio personarum in creatis est cum exclusionem omnis identitatis. Vnde sit, vt est cum exclusionem personæ separari possint, atque loco, & tempore personæ separari possint ( vt ita dicitur ad eam distinctionem posuit ( vt ita dicitur ) oculis videri, personæ autem diuinæ ita distinguuntur, vt alias vnum sint, & inseparabiles & idco

Handwritten marginal notes in large letters, including 'S', 'T', 'D', and 'O'.

Quomodo Filius habeat omnia, quæ Pater Matth. vii.

Chrysof. Hieron. Beda. Iren. Tertull. Arban. Nazian. Damase.

Concil. Flor.

Dubius.

Torus.

4. Respondeo.

Contra Lat.

5. Distinctio dicitur non per se, sed per relationem ad aliud.

6. Dicitur non ad præiudicium vnitatis, dicamus vnum, non ad confessionem Trinitatis.

7. Dicitur non ad præiudicium vnitatis, dicamus vnum, non ad confessionem Trinitatis.

8. Dicitur non ad præiudicium vnitatis, dicamus vnum, non ad confessionem Trinitatis.

9. Dicitur non ad præiudicium vnitatis, dicamus vnum, non ad confessionem Trinitatis.